



Commentarii Tres in Universam Aristotelis Philosophiam

Commentarius Tertius In Libros De Coelo; De Generatione Et Corruptione;
De Anima; Et Metaphysicam Aristotelis

Crespin, François

Brvxellæ, 1652

III. An Alteratio, ac per consequens nutritio & accretio, sit motus continuus
successivus?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95375](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95375)

illi identificata, & tunc cessaret, ac proinde & ipsa: verum, ratio ista non placet, quia aptitudo non cessat ex parte ipsius & quia ipsi identificata; sed ex parte termini & quia ad ipsum terminata, ut patet.

ix. Probatur secunda Pars, quia conceptus formalis alterationis maxime consistit in motu ad qualitatem corruptivam, qui adhuc, impossibili generatione, dari posset, ut patet; & alteratio, non nisi ex intentione alterantis, & entitate sua materiali, si ve non accepta ut alterativa (de qua hic) debet dicere ordinem ad generationem; ergo, &c.

D V B I V M I I I.

An Alteratio, ac per consequens nutritio & accretio, sit motus continuus successivus?

Ante Resolutionem

x. Suppono 1^o, duplicem à Philosophis assignari alterationem; prima est intensiva, de qua dubio sequenti, & est quæ subjectum perficitur secundum eandem sui partem: secunda extensiva, & est quæ subjectum perficitur secundum diversas sui partes, illa facit majus intensivè, hæc extensivè, & de hac dubium procedit.

xi. Suppono 2^o, dubium procedere de continuitate ex parte temporis, non verò ex parte subjecti, aut partium motus alterativi in se; quia satis constat illius subjectum esse continuum, uti & motum in se, ex hypothesi, quod continuum non constet ex partibus indivisibilibus; ac proinde motum alterativum similiter esse continuum ex parte subjecti & suarum partium.

xii. Suppono 3^o, pro alteratione duas adferri posse sententias: prima est Ægidii 1^o. de Genes. q. 16. Averrois lib. 3^o. Physic. comment. 8. Alberti Magni lib. 8. Textu 23. Scoti in 4. dist. 44. q. 5. Pomponacii lib. de Nutrit. & fermentatione cap. 19. & 8. Metaph. Disp. 7. cap. 4^o. Toleti in præfati q. 11. qui pro se citat Thæmisium & Simpliciū. Item Capreoli, Soncinatis, Iavelli, quos sequuntur Hurtadus & Arriaga hic Disp. 2^a. Alterationem esse motum successivum cum morulis interpositis: secunda Gregor. in 1. dist. 17. q. 2. art. 1^o. Soti lib. 10^o. Physic. q. 4. art. 3^o. Marfilii q. 14. Alberti de Saxonia q. 13. Veneti, nostrorum Complutensium, Ioannis à S. Thoma, & aliorum ferè omnium Thomistarum, Coninck, Poncii, Oviedi, Murciæ, Comptoni, & recentiorum communiter, esse successivam: Pro nutritione verò & accretione etiam duæ referri possunt sententiæ: prima est Toleti hic q. 11^a. & multorum Thomistarum, quos sequitur Hurtadus & Arriaga esse successivas, cum morulis interpositis, sic scilicet, ut aliquo tempore disponatur materia alimenti, in quam (posita ultimà dispositione) forma viventis introducat in instanti; deinde disponatur alia pars, in quam iterum introducat in instanti forma viventis, & sic consequenter: Secunda est Gregorii & aliorum Nominalium, item Soti, Conimbr. Complut. Poncii & aliorum. His suppositis, sit

R E S O L U T I O I.

xiii. **D**ico 1^o, alteratio tam quoad extensionem, quam quoad intensiōem fit instantaneè quoad partem divisibilem divisibiliter sumptam.

xiv. Probatur: quia, præterquam quod alteratio non sit essentialiter successiva, sed permanens, uti ipsius terminus, (unde cuilibet parti temporis indivisibiliter sumptæ non debet necessariò correspondere secundum solas partes divisibiles indivisibiliter sumptas) sequeretur non posse fieri instantaneè, nisi secundum partem divisibilem indivisibiliter sumptam; sed hoc dici non potest, ergo, &c. Probatur minor; quia inde sequeretur id dari realiter in continuo partem proportionalem non aliquotam, si ve partem divisibilem realiter indivisibilem, in quo est contradictio terminorum: 2^o ignem magnum non posse extensioem & intensioem calorem producere, quam possit parvus per integram horam, quæ simul agerent, quod est contra manifestam experientiam; ergo, &c. Probatur hæc sequela; quia ignis parvus non potest minùs unâ parte temporis divisibili indivisibiliter sumptâ producere, quam unam partem caloris, tam quoad extensionem, quam quoad intensiōem divisibilem indivisibiliter sumptam; nec plus poterit magnus, ergo, &c. Hinc

xv. Collige 1^o, difficulter ad hanc experientiam Respondere illos, qui docent alterationem esse motum essentialiter continuum & successivum, uti est ipsum tempus reale; hoc enim dato debent proportionaliter docere alterationem semper instantaneè fieri secundum partes divisibiles indivisibiliter sumptas, sicuti existit ipsum tempus instantaneè.

xvi. Collige 2^o alterationem, tam quoad intensiōem, quam quoad extensionem, non sequi approximationem partis passî proportionalis non aliquotæ, si ve divisibilis indivisibiliter sumptæ: quia agentia alterantia agunt uniformiter difformiter per partes aliquotas, & divisibiles divisibiliter sumptas, ut clarè patet ex hac conclusione.

R E S O L U T I O I I.

xvii. **D**ico 2^o, alteratio, tam quoad extensionem, quam quoad intensiōem non fit continuè successivè, sed interruptè, & cum morulis, quoad partes plures determinatas divisibiles divisibiliter sumptas.

xviii. Probat Arriaga de Generat. Disp. 11^a. Sect. 3^a. sonus producit species, & simul totam intensiōem in instanti ad certum spatium, id (inquit) experientiâ patet; nam qui est juxta findentem ligna, tam citò audit sonum, quam ictum videat; ergo omnia fiunt in instanti; illæ tamen species non statim in instanti effundunt se ipsas, ut patet, inquit, evidenter experientiâ; quia qui aliquantulum distantiore est, prius videt ictum, quam audiat sonum, ergo illæ species in diffusionem & operationem suam per morulas interrumpuntur. Sed

xix. Contra 1^o, verisimilius est sonum ad auditum non deferri per species; sed per esse reale suum; quia vel species illæ remanerent jam corrupto sono? & hoc non; quia alioqui naturaliter audiretur sonus non existens; ex quo (præterquam quod, ut rectè notat D. Fromondus de Anima lib. 11^o. cap. 4^o. art. 8^o. potius sit negotium imaginationis, aut intellectus, quam sensus externi, acumen suum & cognitionem ad rem non existentem naturaliter extendere) inferrem, etiam naturaliter videri posse colorem non existentem, quod omnes negant; vel non remanerent nisi remanente sono, & hoc etiam non, quia essent superflue species, ubi objectum

objectum potest per se immediatè movere potentiam, uti potest ad illam distantiam, ad quam ob collisionem corporum aëris tremor propagatur, eo ferè modo, quo aqua per gyros ad injectum lapidem movetur.

xx. Contra 2^o, si species soni non statim in instanti effundant seipsas, effundent se postquam defuit sonus, ac proinde per illas post effusas percipietur naturaliter sonus, realiter non existens, quod jam rejectum est; dùm verò D. Fromondus loco paulò ante citato difficultatem hanc evadere putat, dicendo, non sonum non existentem, sed speciem soni existentem audiri *ut quod*; majorem invadit: 1^o quia (præterquam quòd id videatur contra mentem D. Thomæ de verit. q. 8. art. 5^o. *sensus externus simpliciter cognoscit id est ut quod, illud cuius speciem recipit, & nil (nota) aliud.*) si species soni audiat *ut quod* melius dicitur sonus, quàm species soni audiri, unde multiplicat enna sinè necessitate: 2^o quia dare debet rationem, cur sonus existens per speciem existentem audiat, *ut quod*, non verò non existens, quandoquidem existens, non per se, sed per speciem audiri debeat. 3^o etiam contra militat contrariatio sequens: 4^o si Deus destructo pariete speciem existentis antea parietis in oculo meo conservaret, viderem parietem non existentem supernaturaliter, eo modo quo ante eum videbam naturaliter, ac proinde *ut quod*; igitur si species soni non existentis naturaliter conservetur, illum audiam naturaliter *ut quod*, quod ante rejectum est.

xxi. Contra 3^o, omnes species soni sunt ejusdem speciei & activitatis, uti lux; quare igitur se non diffundunt in instanti, uti lux, ad totum spatium? P. Arriaga id refert in diversam earum activitatem & naturam experientiâ notam; verum nec experientia docet eas dari, ut vidimus, nec si dentur, docet id provenire ex natura istarum specierum, & non ex aliis agentibus, ex quibus provenire, quòd sonus prius à proximioribus ligna findenti, posterius à remotioribus audiat, statim docerimus.

xxii. Probat 2^o, lapis gravis super asserem gravitans non statim frangit asserem; sed post multos dies, vel certè annos, ergo non egit à primo instanti continenter in asserem, aliàs à primo instanti incepisset illum frangere. Sed

xxiii. Contra, lapis à primo instanti continenter egit in asserem, non tamen ab initio illum fregit, quia continuatio Physica partium asseris, præteritum viridis, est valde tenax, & fortiter resistit discontinuationi; quòd verò asser tandem frangatur, ideo est, quia successu temporis tenacitas istius continuationis minuitur per deperditionem alicujus partialis viscositatis partium asseris, majorem excitationem earumdem, &c. si enim asser ex parte suâ semper esset ejusdem in partium continuatione tenacitatis, non magis in fine anni frangeretur, quàm initio, prout si lapis ex parte sua semper esset æquè durus, gurta cadendo, numquam cavaret lapidem.

xxiv. Probatur aliter Resolutio, 1^o, exemplo soni (quo utitur P. Arriaga) quod omnino aliter exponemus; sonus in instanti, sive in parte temporis divisibili indivisibiliter sumpta, producit quoad intensiorem & extensionem ad certum spatium, & ad spatium ulterius non nisi interruptè, & cum morula; quia, ut patet per experientiam ab Arriaga aliam: si aliquis ligna findat, qui prope est, tam cito audit sonum, quàm videt ictum; si remotè, prius

videt ictum, quàm sonum audiat; imò, ut rectè notat D. Fromondus de Anima loco paulò ante citato, *Adeo ut avis, quæ arbori insidebat, glande icta, à spectatore longinquo decidisse citius conspiciatur, quàm sonitum exaudierit.* Idque, quia species visuales statim per totum spatium in instanti diffunduntur; sonus verò non nisi per moras & interruptè.

xxv. Respondebis ex P. Oviedo de generatione contròv. 5. puncto 4^o. n. 15^o. sonum non produci interruptè, & cum mora, ad spatium ulterius; sed primo instanti produci ad certam sphaeram (licet minorem sphaerâ lucis; ex quo fit, quòd prius videatur ictus, quàm audiat sonus) ultra quam audiri non potest, nisi per motum aëris istius sphaeræ ulterius, quò successivè ulterius motò, auditur.

xxvi. Contra tamen est 1^o, quòd si ad motum aëris successivum moveretur sonus, deberet idem sonus pluribus instantibus permanere, imò & quamdiu maneret ille aër, cum non habeat contrarium, & non conservetur per novas & novas actiones agentium, à quibus productus est, sed, vel à solo Deo (ad quem hinc recurrere debet P. Oviedus sinè necessitate) vel à permanente actione, per quam primò productus est, quæ si petat tribus instantibus durare, quidni quatuor, & pluribus? sequela autem est contra experientiam manifestam.

xxvii. Contra est 2^o, quòd idem sonus deberet ab eadem persona in eodem loco, tertio, vel quarto & amplius audiri; nam, cum aër ad collisionem corporum edentium sonum sphaericè moveatur per gyros, uti aqua superficialiter ad injectionem lapidis; & aër primi, secundi, tertii & quarti gyri, successivè succedat in locum aëris quinti gyri, ut patet, deberet successivè quinies iste idem sonus audiri, quòd est contra experientiam. Sed

xxviii. Petes cur potius sonus interruptè, & cum mora in medio, quàm species visuales producantur?

xxix. Respondet D. Fromondus loco supra citato art. 4^o. vix aliam rationem reddi posse, quàm quia talis est natura soni, ut sic agat, & speciem sui cum aëris undatione promoveat; sed per hoc nil solvit; quia, vel per omnes undationes species soni speciem sola producit; vel aliud agens? si 1^{um}, aër undans non magis impedit activitatem speciei soni ad speciem sibi similem instantaneè producendam, quàm planè motus activitatem speciei coloris ad speciem sibi similem instantaneè producendam impedit: si 2^{um}, illud aliud agens quaeritur, & tacet. Quare aliter

xxx. Respondeo rationem esse, quòd visibiles species ad totum spatium se continuè producant independentè à coefficientia aliorum agentium circumstantium; sonus verò ad totum spatium in quo auditur, non nisi dependentè à coefficientia corporum circumstantium se allidentium: cum v. g. ferrum & metallum se allidunt, instantaneè producit qualitas sonora, taliter vel taliter, prout talia vel talia fuerint copora sonora & sonus usque ad finem gyri in aëre per illam collisionem excitatum ibi interruptitur donec aër illius gyri resistantiam aëris propinqui superet, & per collisionem cum illo, mediante qualitate illâ sonora, novum sonum edat, & gyrum novum faciat, & sic successivè interruptè de toto reliquo spatio; nec apparet quomodo commodius explicari possit dicta experientia, quin incurrantur dicta contra P. Arriagam incommoda, Hinc

xxx. Dic totius quidem primi gyri sonum edi ex collisione corporum & pugna, sine ictu, aëris; sed 2^o gyri sonum ex qualitate illa sonora & pugna aëris 1^o & 2^o gyri, & sic successivè: qualitas autem illa sonora, uti species visuales per totum medium diffunditur, licet non sonet nisi accedente novo ictu sive pugna aëris 1^o gyri cum aëre 2^o gyri, & sic successive, ut experientia convincere videtur: Si autem quæras, cur qualitas illa sonora expectet novum ictum, sive pugnam aëris 1^o gyri cum aëre 2^o gyri, ut sonum edat? Quæro ego, cur qualitas illa & sonus præsupponant 1^{um} ictum aëris, ut producantur? Si Respondeas talem esse horum effectuum naturam, idem dic de sono effectui istius sonoræ qualitatæ per medium diffusæ: varii enim sunt effectus, quos pendere à diversis agentibus concurrentibus, experientia docet in calore piperis non producto nisi concurrente calefactione oris, v.g. aut ventris.

xxxii. Probatur 2^o, quia aliqui calor structo igne in medio campi deberet notabiliter, imò infinitè in ictu oculi intendi & remitti: sed hoc est contra manifestam experientiam, ergo, &c. Probatur major, quia (ut patet ex Resolutione prima) singulis instantibus, id est, partibus temporis divisibilibus indivisibiliter sumptis, quæ sunt in ictu oculi infinitæ, non extenditur & intenditur secundum partes proportionales minores & minores, sed secundum partes determinatas & divisibiles indivisibiliter sumptas, ergo, &c.

xxxiii. Confirmatur ex Aristotele 8^o Physicorum cap. 1^o. Textu 23^o. *Quare dicere continue alterari, valde manifestum est adversari, in contrarium enim alterationis est*, ubi intelliges Aristotelem de alteratione per totum spatium, in quo fit alteratio, prout de illa in hac Resolutione agimus; non verò de alteratione ad certam partem spatii; quomodo de illa in 4^a Resolutione egimus, & agit Aristoteles 5^o. Physic. Textu 39^o. ubi dicit *omnem motum propriè dictum esse continuum*; cum verò 6^o. Physic. ait *motum non fieri in instanti*, intelligendus est de motu locali, vel de motu alterationis in toto spatio, in quo solet successivè fieri, ut paulò ante dictum est.

xxxiv. Obijcies, ex hac conclusione sequitur, quòd agens naturale debitè applicatum passo pro aliquo tempore nihil in ipso producat; sed hoc est absurdum, ergo, &c. Probatur sequela, quia in tempore illo, quo fieret interruptio, nihil produceret, & tamen, tam esset tunc sufficienter passo applicatum, quàm ante, vel post, ergo, &c.

xxxv. Respondet P. Arriaga negando minorem, dicitque id refundendum in naturam agentium per alterationem nobis experientià notam; verum ratio ista rudis nimium & perfunctoria est, etenim per hoc non satisfacit, quia hanc interruptionis experientiam adversarii negant, & ideo illius rationem, quam non dari Arriaga fatetur, quærunt. Vnde alter

xxxvi. Respondeo distinguendo minorem; sed hoc est absurdum, si agens naturale adhuc habeat vires ad agendum in passum cui debitè est applicatum, concedo minorem; si non habeat. nego minorem; postquam verò agens, primo instanti ad certum spatium produxit suam qualitatem, non habet vires sufficientes, ut sequenti instanti in illud agat; quia agens primo instanti ita agit uniformiter difformiter, ut nec isto instanti in extremam partem passi, in quod agit isto instanti, possit, etiam

qualitatibus intermediis coadjuvantibus, intensiorem qualitatem producere, nec ultra illam extensorem; secundo verò instanti, nec intendit, nec extendit illam qualitatem; quia secundo instanti contra majorem intensiorem resistit hoc passum, & contra majorem extensionem passum ulterius, non potest autem eodem instanti passum resistere & superari; quia alioqui deberet simul habere duas qualitates sibi contrarias ut contrarias & simul pugnantes, quarum una eodem instanti in eodem subiecto resisteret, altera vinceret, quod non bene intelligitur: unde secundo instanti, ne intendat, aut extendat illam qualitatem, impeditur resistentià passi, quod tertio instanti superatur, & ideo non resistit; ac proinde intenditur & extenditur illa qualitas, & sic de aliis successivè.

xxxvii. Fundamentum Solutionis explico, supposito quòd contraria invicem resistent resistentià formali, id est suà præsentia impediunt quominus contrarium ut contrarium in eodem subiecto, in quo sunt, producat: primo instanti v.g. quo ignis est applicatus aquæ ut illam calefaciat, nec ignis aquam calefacit, nec aqua frigefacit ignem; quia illo instanti aqua per suum frigus igni (ut experientià patet) & ignis per suum calorem aquæ resistentià formali resistit, quæ resistentià formalis cum importet existentiam utriusque resistentium in gradu contrario ut contrario, impedit ne isto instanti ignis aquam calefaciat, aut aqua ignem frigefaciat; ne alioqui contraria in gradu contrario ut contrario naturaliter in eodem subiecto, consistere debeant: unde secundo dumtaxat instanti causa, quæ fuerit fortior, effectum sibi proportionatum, & intensum ac extensum, secundum majorem virtutem suam in subiecto producit; tertio verò instanti eadem est pugna, seu resistentià formalis ad ulteriorem intensiorem & extensionem, quo proinde instanti non fit, sed quarto dumtaxat, & sic de aliis; hæc enim explicatio videtur claram continere rationem experientiæ, per quam diximus nobis manifestari naturam agentium per alterationem.

xxxviii. Nec dicas 1^o, ex P. Oviedo Physic. controvers. 6^a. puncto 4^o. n. 28^o. resistentiam formalem non importare coexistentiam formarum contrariarum; sed hoc solum, nempe quòd in priori, quàm Deus concurrat ad productionem unius contrariorum, & destructionem alterius, attendit utrum fortius esset, & secundum exigentiam fortioris concurreret in posteriori ad productionem, vel conservationem, non productionem, vel destructionem contrarii.

xxxix. Contra enim est 1^o, quòd per hanc explicationem non satisfiat probationi conclusionis; 2^o quòd ad Deum recurratur sine ulla necessitate, in his, quæ ad causas naturales spectant: 3^o quòd non sit ratio dicendi contrarium 1^o agere per suam substantiam existentem, & non 1^o resistere per suam substantiam existentem; resistentia enim est rei sistentia, & resistere est rem sistere; nam sicut res non existens rem existentem movere non potest, ita, nec sistere, quod fieret, quia resistentia formalis secundum ipsum in eo consistit, quòd Deus prius attendisset ad contrariorum majorem virtutem, & posterius ad illud, quod est majoris virtutis, producendum concurrisset, in quo non requiritur coexistentia contrariorum, & hoc dato non apparet, cur, in ictu oculi, ignis non

non summè suum intendat & extendat calorem, ut dictum est.

XL. Nec dicas 2^o, in tertio instanti non esse diminutam virtutem causæ intendentis & extendentis; sed auctam per accidentia, quæ, adaugendo intensiorem & extensionem, secundo instanti, secundum nos, produxit, & per quæ diminuta est virtus causæ contrariæ; unde (inquies) si secundo instanti possit hanc superare, & accidentia sua intendere & extendere, poterit & tertio.

XLI. Contra enim est: 1^o, quod si poterit tertio, poterit & secundo, quia causa & effectus possunt esse eodem instanti, & virtus, per quam causa alterat subjectum tertio instanti, existit 2^o, ut patet; unde tota intensio & extensio fieri deberet in instanti, contra manifestissimam experientiam, & Aristotelem supra: 2^o, ex eo quod dicta virtus non sit imminuta, sed aucta; sequitur quidem facilius superaturam contrariam quoad reliquos gradus; non tamen in instanti immediate sequenti; quia in instanti immediate sequenti est resistentia formalis quoad reliquos gradus; in eo verò instanti, quo est resistentia formalis, contraria non introducunt contrarias qualitates, sed suâ præsentia impediunt ne introducantur: quare in alteratione servatur hic procedendi modus; Primo instanti fit resistentia formalis, sine victoriâ seu productione contrarii: Secundo fit victoriâ secundum gradus determinatos sine resistentia; Tertio verò fit resistentia, & sic de cæteris.

XLII. Nec infes dicendo nos experiri calorem continuò serpere per manum igni approximatum, licet successivè; contrarium enim ratio, & experientia docet, ut patet ex Resolutione; nam experimur quidem calorem per manum serpere, sed non continuè; quia interruptio, ubi in passo, v. g. manu tantillum frigidâ, non est multum contrariæ qualitatis, fit brevissimo tempore, quod sensus discernere non potest pro singulis interruptionibus distributivè sumptis; bene pro omnibus collectivè sumptis, ut tum ex prima, tum ex secunda Probatione Resolutionis patet.

RESOLUTIO III.

XLIII. **D**ico 3^o, Accretio & nutritio fit instantaneè quoad partem divisibilem, divisibiliter sumptam.

XLIV. Probatur 1^o, Alteratio fit instantaneè quoad partem divisibilem divisibiliter sumptam, ut patet ex Resolut. 1^a. ergo & accretio ac nutritio; Probatur consequentia, quia alteratio ex natura sua ordinatur ad accretionem & nutritionem, ergo, &c.

XLV. Probatur 2^o, accretio & nutritio, utpotè productio formæ viventis ex materia alimenti, proportionatur corruptioni formæ alimenti; sed hæc quoad partem formæ divisibilem divisibiliter sumptam fit instantaneè, ergo, &c. major admittitur ab omnibus; Probatur minor, quia corruptio sequitur alterationem ex qualitate contraria, quæ fit instantaneè quoad partem divisibilem divisibiliter sumptam (ut constat ex Resolut. 1^a.) & sicut 1^o producit instantaneè quoad partem divisibilem divisibiliter sumptam, proportionaliter ad primam productionem dispositionum instantaneam quoad partem divisibiliter sumptam; ita corrumptur

tur proportionaliter ad corruptionem suarum dispositionum instantaneè quoad partem divisibilem divisibiliter sumptam.

XLVI. Obijcies 1^o, vivens fortius & citius agit in partem materiæ alimenti proximam, quàm in remotiores, ergo prius eam ultimò disponit ad novam formam, & hanc prius educit ex parte materiæ proximæ, quàm disponat remotiores, & ex his novam formam educat; ergo, tum alteratio, tum accretio & nutritio fit successivè quoad partem divisibilem divisibiliter sumptam.

XLVII. Respondeo distinguendo antecedens, fortius & citius agit in partem materiæ alimenti proximam, id est, primam divisibilem indivisibiliter sumptam; nego antecedens; in primam divisibilem ex quatuor aut quinque v. g. divisibilibus indivisibiliter sumptis conflata, ultra quam incipiat tardius & debilius agere, concedo antecedens; sed hinc nihil contra hanc aut primam Resolutionem.

XLVIII. Instabis, citius & fortius agit in partem alimenti primam divisibilem indivisibiliter sumptam, ergo solutio nulla; Probatur antecedens, quia est agens naturale; agentia autem naturalia agunt uniformiter difformiter; quod non fiet; ergo, &c.

XLIX. Respondeo negando antecedens, ad ejus probationem distinguo antecedens, agentia naturalia agunt uniformiter difformiter, id est, citius & intensius in parte proximiori, quàm in remotiori, si illa pars sumatur divisibiliter sensu statim dato, concedo antecedens; si sumatur indivisibiliter, nego antecedens: etiam hoc modo potest distingui antecedens, agunt uniformiter difformiter, si fiat respectus ad totam materiam, in quam successivè suos effectus producunt, concedo antecedens; nam postquam eos in quatuor partes materiæ v. g. introduxerunt æqualiter, id est, æquè citò, & æquè intensè; in 4^a, 5^a, & 6^a. inæqualiter, id est, minùs citò & minùs intensè, eos introducunt, & iterum minùs citò & minùs intensè in 7^a, 8^a, 9^a, & c. & sic consequenter; si fiat respectus ad singulas partes divisibiles indivisibiliter sumptas, nego antecedens; nam, ut statim dictum, & supra probatum est, agentia naturalia agunt per aliquot partes, plures vel pauciores, prout fuerit natura agentium, uniformiter & æqualiter. Hinc

I. Confirmari potest 1^o, quia incredibile videtur ignem suum calorem, & vociferantem suam vocem ad singula materiæ, sive loci, divisibilia indivisibiliter sumpta minuere; sic enim, cum in materia, aut spatio semidigitali, sint infinita divisibilia indivisibiliter sumpta, ante finem materiæ, aut spatii semidigitalis, deberet calor, & vox esse imminuta ad infinita divisibilia indivisibiliter sumpta; nec ultra calor sentiri, aut vox audiri, posset; quod est contra manifestam experientiam: Ratio hujus est, quia ultra, vel divisibile indivisibiliter sumptum tantum posset? quo casu ageret uniformiter ad plura divisibilia indivisibiliter sumpta, quod negant; vel nihil? hoc est contra experientiam, quæ docet calorem & vocem ultra percipi.

II. Confirmari potest 2^o, forma viventis non potest 1^o introduci, nisi in materiam certæ magnitudinis; atque adeo talem, ut in minorem introduci non possit; quo posito sic argumentor: vel illa materia fuit tota simul ultimò disposita, vel non?

non? si non, ergo prius fuit una pars ultimò ad illam disposita, quam alia; ac proinde finè omni forma substantiali: non enim habet tunc veterem, quia ultimò disposita ad novam; nec etiam habet novam, quia hæc pars materia est minor, quam sit illa materia certæ magnitudinis, quam exigit ad primam sui introductionem, ita ut in minorem introduci non possit; hanc autem sequelam contra nos lib. 1^o. Physic. admitti posse negant: si fuit tota simul disposita, ergo agentia naturalia agunt uniformiter & æqualiter per aliquot partes materie divisibiles indivisibiliter sumptas, & non necessariò fortius ac citius in prima divisibili indivisibiliter sumptâ, quam in secunda, ut contendimus.

III. Objicies 2^o. motus localis non fit in instanti, id est, in parte temporis divisibili indivisibiliter sumpta; ergo nec accretio & nutritio: Probatur consequentia, non potest esse acquisitio majoris qualitatis, quin simul sit acquisitio majoris loci, ergo, &c.

III. Respondeo negando consequentiam, ad ejus probationem distinguo; non potest esse acquisitio majoris qualitatis, quin simul sit acquisitio majoris loci ipsius totius, ratione partium de novo acquiratarum, concedo; quin simul sit acquisitio majoris loci partium præcedentium, ratione sui, nego; quia illæ in rigore non acquirunt majorem locum, sed ipsum totum, ut ex his & superadditis partibus conflatum est.

RESOLUTIO IV.

LIV. Dico 4^o. accretio & nutritio quoad plures partes determinatas divisibiles divisibiliter sumptas, non fit continuè successivè, sed interruptè, & cum morulis ita præter supra citatos D. Fromondus lib. 2^o. de Anima cap. 5^o. art. 3^o. ubi sic scribit: Breviter Aristoteli & S. Thomæ assentimur nutritionem, nempe & accretionem multis in-

tervallis interrumpi solere, &c.

LV. Probatur 1^o, quod quoad dictas partes fiat interruptè: alteratio quoad plures partes determinatas divisibiles divisibiliter sumptas non fit continuè successivè, sed interruptè, & cum morulis, (ut patet ex Resolut. 2^a); ergo & accretio ac nutritio. Probatur consequentia, quia hæc alteratio ordinatur ex natura sua ad hanc accretionem & nutritionem.

LVI. Confirmatur, quia producta tota dispositione ad formam in parte sufficienti materie, introducitur in eam formam, & non in alias partes; quia non sunt ad eam ultimò dispositæ, ergo necessariò fit interruptio productionis formæ, ut interim cæteræ partes disponantur, ac proinde accretio quoad dictas partes fit interruptè.

LVII. Probatur 2^o quod quoad dictas partes fiat successivè, & cum morulis, quod solum restat probandum: agentia naturalia agunt uniformiter difformiter, citius & intensius in parte proximiori, sensu dato, quam in remotiori, & ordinariè loquendo, in materia alimenti sunt plures partes, quam ut vivens possit per omnes uniformiter tantum & æqualiter agere, ergo, &c.

LVIII. Confirmatur ex Aristotele 3^o Physic. cap. 1^o. textu 1^o, ubi cum dixisset, motum Physicum esse de genere successivorum, textu 6^o enumerat expressè accretionem, sumptam scilicet quoad plures partes determinatas divisibiles divisibiliter sumptas, & potius ut totalem, quam partialem, ergo, &c.

LIX. Adde 1^o. in homine & simili composito, partim spiritali, & partim materiali, idem dicendum de productione unionis, sive generationis, ut unionis, quod hic & Resol. præced. de forma viventis, diximus.

LX. Adde 2^o. continuationem formæ novæ ad formam veterem, & materie alimenti ad materiam aliti sequi naturam ipsius accretionis, ut patet.

DISPUTATIO SEPTIMA

De Maximo & Minimo.

I. Hæc Disputatio communis est, tam minimo substantiæ, quam qualitatis; sed priusquam ad dubia descendamus.

II. Adverte 2^o. à Philosophis duos rei terminos distinguere; unum intrinsecum, quem etiam, maximum vel minimum quod sic appellant, & extrinsecum, quem etiam maximum vel minimum quod non appellant.

III. Intrinsecus est, ad quem res, sive in magnitudine, sive in parvitate pertingere potest, sed non ultra; sic quinque pedes (posito quod homo naturaliter, ultra ascendere non possit) sunt terminus intrinsecus naturalis magnitudinis hominis; semipes verò (supposito quod homo infra descendere non possit) est terminus intrinsecus naturalis parvitatibus hominis.

IV. Extrinsecus est, ad quem res non potest quoad magnitudinem ascendere, & quoad parvitatem descendere.

V. Adverte 2^o. allatas definitiones maxime esse

R. P. Francisci Bonæ Spei Physicæ

terminorum substantiæ; non verò qualitatis, quorum intrinsecus est qui oritur ex natura qualitatis illius exigentis; extrinsecus, qui à causis extrinsecis.

DUBIUM I.

An dari possit maximum & minimum substantiæ.

Ante Resolutionem
VI. Adverte 1^o. dubium etiam intelligi de quantitate, quia realiter est substantia secundum nos; secundum alios, quos in Logica refutavimus, substantiæ coæva proprietatis.

VII. Adverte 2^o. dubium tam procedere de non viventibus, quam de viventibus.

VIII. Adverte 3^o. statum communem rerum, qui passim connaturalis dicitur, non tam considerari ex rebus ipsis secundum suas naturas, quam secundum suum ordinem, quem habent ad concursum

D d

Dei